AUGUSTINUS

Österreich (Admont ?), 2. Hälfte 12. Jh. Seite 30r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26831
Copyright: Admont, Benediktinerstift



ipsorum scilicet angelorum et dominus non tantum ipsorum scilicet rerum omnium lauaret pedes discipulorum et seruorum
suorum. huius ergo tanti facti quomodo promiserat scientiam dicens. scies autem postea. quid sit quod
fecit docere nunc incipit. Vos inquit uocatis me magister et domine. et benedicitis. sum enim.
Benedicitis quia uerum dicitis. sum quippe quod dicitis. Homini preceptum est. non te laudet
os tuum. scilicet laudet te os proximi tui. Periculosum est enim sibi placere. cui cauendum est sup
bire. Ille autem qui superomnia est quantumcumque se laudet non se extollit excelsus. nec potest rec
te dici arrogans dominus. Nobis namque expedit eum nosse non illi. nec eum quisque cognoscit. si
non se indicet ipse qui nouit. Si ergo non se laudando quasi arrogantiam uitare uoluerit
nobis sapientiam denegabit. et magistrum quidem quod se esse dicit nemo reprehenderet
etiam si eum nichil esse aliud quam hominem crederet. quomodo id profiteretur quod et ipsi ho
mines in quibus liber artibus usque adeo sine arrogantia profitentur. ut professores uo
centur. Quod uero dominum et ipse se dicit discipulorum suorum cum sint illi etiam secundum seculum ingenui.
quis ferat in homine. Sed dominus loquitur. nulla est hic elatio tante celsitudinis. nullum
mendacium ueritatis. Nobis subiacere illi utile est celsitudini. nobis seruire utile
est ueritati. Quod se dominum dicit non illi est uicium. sed nobis est beneficium. Cuiusdam auctoris
uerba laudantur quia dicit. cum omnis arrogantia odiosa est. tunc illa ingenuitas elo
quentie multo molestissima. et tamen idem ipse cum de sua eloquentia loqueretur.
dicere inquit perfecta si ita iudicarem. nec in ueritate crimen arrogantie perti
mescerem. Si ergo ille homo eloquentissimus in ueritate arrogantiam non timeret.
quomodo arrogantiam ipsa ueritas timet. Dicat se dominum qui dominus est. dicat uerum
qui ueritas est. ne non discam ego quod utile est. dum tacet ille quod est. Beatissimus paulus
non utique unigenitus dei filius. sed unigeniti filii dei seruus et apostolus non ueritas sed
particeps ueritatis. ait libere atque constanter. et si uoluero gloriari non ero insi
piens. ueritatem enim dico. Neque enim in se ipso sed in ipsa ueritate que superior
est ipso et humiliter et ueraciter gloriaretur. quomodo et ipse precipit ut qui gloriatur in
domino glorietur. Itane non timeret insipientiam si gloriari uellet amator sapientie.
et in gloria sua timeret insipientiam ipsa sapientia. Non timuit arrogantiam
qui dicit. in domino laudabitur anima mea. et in laude sua timeret arrogantiam
potestas domini in quo laudabitur anima serui. Vos inquit uocatis me magister
et domine. et bene dicitis. sum enim. Ideo benedicitis quia sum. Nam si non essem quod di
citis. maledicereris etiam si me laudaretis. Quomodo ergo negaret ueritas quod
dicit discipuli ueritatis. Quomodo quod dicit qui didicerunt. negaret ipsa unde di
dicerunt. Quomodo fons negat. quod bibens predicat. Quomodo lux occultat. quod
uidens indicat. Si ergo laui ego inquit pedes uestros dominus et magister. debe
tis et uos alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi uobis. ut quemadmodum ego uobis feci. ita et uos faciatis. Hoc est beate petre quod nesciebas.
quando fieri non sinebas. hoc tibi postea sciendum promisit quando ut sineres ter
ruit. magister tuus et dominus tuus lauans pedes tuos. Didicimus fratres hu
militatem ab excelso. faciamus inuicem humiles quod humiliter fecit excelsus,